



## Universitätsbibliothek Paderborn

### V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Provisiones Senectutis, Per Tres  
Partes Distributæ - In quibus raræ ac penenecessariæ Veritates, cum  
omnibus Christi fidelibus, tum potissimum Gratiarum Cœlestium,  
lucrorumque æternorum avidibus, quà theoreticè, quà practicè  
proponuntur

**Družbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066391**

Stimulus 11. Senectutis ipsius profectus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45462**

vegeta & indeficiens pietas & avida justitiae famæ, propter quod addidit Sapiens. *Corona dignitatis Senectus: quæ in viis justitiae reperietur.* Quid est enim Senectutem in viis justitiae repertii aliud: nisi in via studioque perfectionis occupari & fervere?

## Stimulus XI.

*Senectutis ipsius profectus.*

Præter proximè dicta, refert Senectus alias præclaras utilitates ex fervore spiritûs sui & ex genoro so ad profectum ulteriore perfe ctionisque opera perpetranda conatu. Nam quod in aliis usu venit: ut carnis senectus habet etiam vires animi: hujus per omnia oppositum sit in senectute justorum ferventium: nam & animus in eis fervet, vegetusque ad labores invenitur, & ipsimet corpori vigorem alacritatemque adspergit, ut animo conanti subservire non gravetur, robore animi sui & ipsum robatur. Fuit Sanctus Simeon Hierosolymorum Episcopus, Salvatori etiam secundum carnem propinquus, hic licet centum viginti annorum esset, martyrium tamen crucis pro Christo fortiter sustinuit & superavit, mirantibus cunctis tantum in adeò sene robur: ignaris, illud à ferventis animi invicto robore provenire. Ubi enim est robustum velle, ibi etiam adest validum posse.

Accedit senectuti ex fervore interni spiritûs & illa gratia, quod non sinat a temptationibus concuti, neque in temptationibus concidere senes, alioqui casui ex suam conditione obnoxios. Exemplo sit Eleazarus: quem cum male amici 2. Mach. 6. quidem indignâ viri commiseratione moti hortarentur, ut pro carne suilla, aliis carnibus licitis vesceretur & simularet manducaffe sicut Rex Antiochus præceperat. At ille cogitare caput, etatis ac senectutis sua eminentiam dignam, & magnitudinem nobilitatis canitatem, atque à puero optimæ conversationis actus, & secundum sancta & à Deo conditæ legis constituta, respondit citò dicens. præmitti se velle in infernum. Non enim

18.

enim nostræ etati dignum est, inquit, fingere, ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum, transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem & propter modicum corruptibilis vita tempus decipientur, & per hoc maculam atque execrationem meæ senectutis conquiram. Nam et si in praesenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manus Omnipotentis, nec vivus, nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter vitæ excedendo, senectute quidem dignus apparebo, Adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo, ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. Dignissima nonagenario sene oratio: dignissimum veterani senis, omnium senum iustorum imitatione exemplum. Ecce virtus non gravatur anniis: quin potius annos ipse sublevat, & facit vegetos atque robustos atque vegetorum & robustorum Juvenum imitatione dignos. Currat ergo senectus, currat, et si non corporis, sed tamen animi pedibus, faciatque magnos, quin & semper maiores ad virtutum perfectionem passus, seu progressus; currat dilatato corde viam mandatorum Domini, nec quidquam pretermittat eorum, per quæ intelliget Divino se placito gratiorem effici posse: priusque illam Spiritus mortalis vitæ, quam famæ & sitis justitiae voluntatisque Divinæ deficiat. Inter præcipuas laudes Patriarchæ Caleb positam legimus hanc. *Usque in senectu- Eccl. 46. II.  
tem permanxit illi virtus: ut ascenderit in excelsum terræ locum.*

## Stimulus XII.

## Confusio Adversantis Inimici.

**E**sse omnibus nobis adversarium, & per omnia capitalem implacabilemque inimicum, in via & opere salutis æternæ, & experimento scimus, & Scripturarum testimoniis docemur. Paulus Apostolus cum hortatus esset omnes confortari in Domino & in potentia virtutis ejus, induique armaturam Dei: subdit mox hortamenti sui causam luculentam hujuscemodi. ut possitis stare adversus insidias dia- boli, quoniam nobis non est colluctatio adversus carnem & san- guinem: sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in cœlestibus. Cum ergo omnibus singulisque nobis incumbat hæc indeclinabilis colluctatio, & ab igneis nequissimi telis infestatio: sine dubio & eadem, & gravior periculosiorque incubit illis justis, Deique famulis, quos citò manu mitten- dos, & ab ista militia exautorandos propter instantem finem appetet. Quemadmodum enim pyræ, non vacuam na-

Eph. 6. 10.

Ibid. v. 16.

yem